FEMINA
RESPECTU
ANATOMICO, PHYSIOLOGICO AC PSYCHICO
CONSIDERATA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM ANNUENTE
INCLYTA FACULTATE MEDICA,
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS
ET
DIRECTORIS,
SPECTABILIS DOMINI DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
IN
ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE HUNGARICA
PRO OBTINENDIS SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

HENR. JOSEPHUS GÓTH
HUNGARUS PESTINENSIS

In Theses adnexas disputabitur in aedibus facultatis Medicae mense Aprili 1847.

BUDAE,
TYPIS JOANNIS GYURIAN, et MART. BAGÓ.
1847.



Ewig aus der Wahrheit Schranken
Schweift des Mannes wilde Kraft;
Unstätt treiben die Gedanken
Auf dem Meer der Leidenschaft.
Gierig greift er in die Ferne,
Nimmer wird sein Herz gestillt;
Rastlos durch entlegene Sterne
Jagt er seines Traumes Bild.

Aber mit sanft überredender Bitte
Führen die Frauen den Scepter der Sitte,
Löschen die Zwietracht, die tobend entglüht,
Lehren die Kräfte, die feindlich sich hassen,
Sich in der lieblichen Form zu umfassen,
Und vereinen was ewig sich flieht.

Schiller.

SPECTABILI AC CLARISSIMO

DOMINO DOMINO

LUDOVICO PLÓSZ,

MEDICINAE DOCTORI,

ARTIS OCULARIS MAGISTRO

INCLYTAE FACULTATIS

MEDICAE PESTINENSIS,

NEC NON REGIAE

SOCIETATIS MEDICORUM BUDAPESTINENSIUM

MEMBRO ORDINARIO, L. R. CIVITATIS

PESTINENSIS PHYSICO HONORARIO, ETC.

VIRO
SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA,
NEC NON
HUMANITATE, ANIMI CANDORE,
INGENII SAGACITATE
AEQUE INSIGNI,
IN PERPETUAE VENERATIONIS, ET GRATI
ANIMI TESSERAM
HAS STUDIORUM PRIMITIAS SACRAT

devinctissimus
Auctor.

Provida natura fertilissima omnium mater, postquam eam sui perfectionem attigisset, ut corpora sic dicta organica procrearet, tunc simul ulteriori corporum horum nobiliorum per se propagationi prospexit, inque altioribus utriusque regni organismis diversitatem sexus induxit. — In specie vero, ne genus humanum tanta nobilitate praeditum, perire posset, adsociavit natura viro mulierem, quaenm integrum efficeret hominem, et quam foecundando propagaret genus suum.

Solet autem natura sapientissima homines diversi sexus ad hocce opus gravissimum, propagationem videlicet sui generis, velut inviare per amorem sic dictum sexualem, qui partibus genitalibus debite evolutis in utroque exurgit sexu. — Est autem amor sexualis affectus, cum nisu intimae conjunctionis evigilata vita sexuali cum persona alterius sexus amata, salva ejus integritate in scopum naturae. — Negari autem non potest amorem sexualem in sexu sequiori intensiorem, constantiorem, tenioremque esse ac in viris. Maximam etenim activitatis muliebris sphaeram explet amor, ejusque omnis fere vita amor est, cumque sexus potior in genere aetate jam puerili audax animo, et temerarius cum viris robustissimis paria tentat, et cum tempore stupenda se agere posse somniat; tunc puella inermis, meticulosa, pudica, sceptra ac cuncta summae potestatis et fortitudinis insignia recusans semet recondit, retractaque in sua solitudine, aut exiguo suo circulo ea tractat, quae eam amabilem reddere valent; hinc puellae in lusibus suis se ornant, nuptias celebrant,

matres solicitas, coquas laboriosas et similia imitantur: — Serius autem et ubi adolescunt, necessitatibus corporis increscentibus, stimulo sexuali evigilante, puellae totae quantae sub omni climate ac coelo pro amore educantur, omnisque matris tenerae cura eo tendit, ut filia marito proba ac fidelis uxor, sobolibus vero optima evadat mater. Mira etiam est puellarum hoc respectu sagacitas, ne ita dicam instinctus, qua e multitudine eas circumdante virum ejusdem aetatis, desideria amoris explere valentem seligit, hujusque amorem ingenio facili, phantasia mobili, corporis gratia, mansvetudine, pietate in Deum ac parentes, misericordia, indefessa industria, morum integritate, castitate intacta, aliisque virtutibus incendere norunt, eumque sibi addictum retinere omni opera student. — Generalibus hís praemissis ad specialia transenndo, considerabimus nunc characteres quosdam, quibus mulier a viro discrepat.

A.) Momenta, quibus malier a viro differt respectu physico.

a.) Differentiae respectu anatomico.

Differt corpus mulieris ad typum normalem efformatae, ab eo maris

Magnitudine. Corpus muliebre citius maturiusque ac virile perfecte evolutum, est in genere brevius, quae differentia non tam a trunco, quam potius ab extremitatibus inferioribus brevioribus repetenda est; latitudinis, quae adest differentia, relativa solum est.

Forma externa, quae est utplurimum laevis, aequabilis, rotundata, undosisque lineis circumdata, nec ossium asperis appophysibus, nec vero musculorum torosorum ventribus hinc et illinc turgida. Subtilitas itaque cum venustate, pulchritudo cum jucunditate et gratia formae muliebri propria.

Venusta haec et grata, qua mulier superbit, forma externa *a peculiari quorundam Systematum conformatione* dependet.

a.) *Systema cutaneum externum.* Cutis limitis pontisque instar naturam externam inter et corpus interjecta, mulieris non tantis potentiis nocivis expositae, tenerior et tenuior concessa est, quam viro. Est adhaec ea paucioribus notata rugis, colore pallidiori amoena, pilisque rarioribus et subtilioribus vestita. Caput longioribus et mollioribus superbit capillis, — supercilia in arcu muliebri procumbentia, et defectus mistacum barbaeque virilis mulierem mansvetam indicant; — caret pectus pilis, ast adsunt glandebalae sub axillis, pubes mollior in genitalibus ad montem veneris magis restricta, nec adeo versus umbilicum ascendens; reliquis partibus nudis, aut hinc inde solum pilosis. — Ungues tenuiores angustiores sunt.

Systema cellulosum magis evolutum ast tenerius est in femina ac viro, adipe copiosiori abundans, quae textus cellulosi structura formam praesertim praevalenter rotundam mollitiemque muliebribus conciliat membris.

Systema vasoram. Arteriae, iis in et circa pelvim, quae crassiores et ampliores sunt, demtis — minus perfectae, tenuiores, capacitateque minori praeditae, cedunt copiosioribus et lumine amplioribus venis. — Vasa absorbentia magis evoluta, firmiora et ampliora sunt.

Systema nervosum. Cerebrum muliebre absolute levius, relative autem gravius virili. Nervi cerebrales, olfactorio et faciali demtis, minores et subtiliores ac in viris. Ex reliquis, ii, qui ad pelvim ac genitalia tendunt, prout plexus nervorum hypogastricus, abdominalis, nec non nervus ischiadicus crassiores.

Systema musculosum. Musculos, ut organa motus activa, breviores, tenuiores, minus prominentes ac angulosos in feminis cernimus, cum textu molliori, subtiliori ac laxiori; insigniuntur quoque pallore. Ceterum si musculos foeminae, qui ossa pelvis (imprimis gluteos) vestiunt, et abdominis cavum limitant, cum homonymis viri contuleris musculis, tunc prioribus et respectu longitudinis, et latitudinis, et denique

respectu crassitiei tribuas praecedentiam, necesse est. Ipse quoque musculorum nonullorum situs et insertio variat.

Systema ossium. Insignis illa, quae mulierem a viro relate ad formam externam organismi distinguit differentia, ab systematis ossei figura imprimis repetenda est. Ossa enim durissimas corporis partes — dentibus exceptis — constituentia, universae compagi organicae fulcrum et firmitatem, parti vero centrali systematis nervosi receptaculum et tutamen praebent, passivaque organa motus efficiunt. Situ autem suo, magnitudine, structura et textura aliam mulieris quam viri destinationem luculenter docent. — Est autem sceleton prioris, quod serius perfectionem adipiscitur, in genere non solum brevius, sed et levius. Ossium cunctorum superficies laevior, humilioribus iisque rotundatis notatur eminentiis, impressionibusque magis planis. Denique color magis albus, textus mollities et raritas, minorque firmitas ossa mulieris distinguunt.

Generali hoc discrimine finito, specialem jam nunc singularium partium descriptionem dare conabimur, et quidem:

Caput mulieris virili absolute minus, ad latera compressum ac postrorsum magis situm est; ossa cranii cum iis faciei collata majora, os frontis humilius minoribus tuberibus, sinubusque arctioribus insignitur; ossa temporum sibi viciniora, basisque cranii angustior; hujus cavum majus relative majorem includit cerebri massam. — Collum longius, ossi hyoideo minori provisum, magis elasticum, anterius plus rotundatum; hinc pomi adami defectus.

Notabilior in *trunco* femineo conspicitur differentia, utpote qui pectoris et abdominis includit cavum. — Truncus ipse cum virili collatus, relate ad extremitates major est, cavum vero pectoris non solum absolute minus est virili, sed principaliter in relatione ad cavum abdominis, ita ut hoc ultimum et cavum abdominis in virili, et thoracis in utroque sexu superet. Offert porro truncus in mulieribus figuram ovalem oblongam, cujus maxima latitudo pelvim format, finis obtusus caput, acutior pedes tenet, ubi e contra in viris pyramidis inversae formam praesefert, cujus basis in humeris existit.

Thorax angustior et brevior est, clavicula non adeo curvata ac in viris, costae tenuiores ac imprimis posteriora versus magis convexae, cum cartilaginibus costarum longioribus, atque coarctato magis, ac una quarta parte breviori corpore ossis sterni. Suapte sequitur, in cavo thoracis absolute angustiori etiam viscera contenta minora esse debere.

Maximum autem quod sceleton femineum a virili distinquit discrimen in ossibus pelvis quaerendum est. *Pelvis* enim mulieris adultae globi formam plus minus assumit, ubi ea virorum conum inferiora versus arctatum imitatur. Os sacrum longius quidem et latius, sed minus excavatum, planius efficit cum ultima vertebra lumbali promontorium — postrorsum minus prominens ampliorem canalem recondit, et amplioribus foraminibus sacralibus pertusum est. Os coccigis mobilius antrorsum magis prominet. Tubera ossium ischii breviorum remotiora; ossa ilei latiora planioraque situi horizontali magis accedunt. Ossium denique pubis rami horizontales longiores arcum pubis notabiliorem efformant, descendentes vero ab inoicem inferiora versus divergendo maiorem angulum efficiunt, in viro solum 70^0 — 80^0 in muliere 90^0—100^0 adaequantem. — Ex qua figurae et coniunctionis ossium modificatione patet, cavum pelvis muliebris brevius, sed emplius esse debere, cum diametris illius ab iis viri multum differentibus. — Diameter enim transversa pelvis maioris apud mulierem $10\frac{1}{2}''$ apud virum $9''$ efficit. Diameter transversa aperturae cavi pelvis superioris apud illam $5\frac{1}{2}''$ apud hunc $4\frac{1}{2}''$ longa, sic coniugata prioris $4\frac{1}{2}''$ posterioris vero $4''$ diametri obliquae apud mulierem $5''$ apud virum $4''$ adaequant. — Aperturae inferioris diameter transversa muliebris est quatuor pollicum ea virorum trium. Sic et coniugata apud feminas $4\frac{1}{2}$ apud virum $3''$ longa. — Denique quod profunditatem cavi pelvis attinet, ca apud mulierem $3\frac{1}{2}$ apud virum contra $5''$ efficit.

Ossa demum *extremitatum* breviora sunt et graciliora. Clavicula magis horizontalis, scapulae invicem viciniores. Femora magis divaricata, genua approximata. — Ipsa extremitatum forma teres et tenera, massaque mollis elastica, in spe-

cie figura brachii et antibrachii est rotunda magis, manus et pedes minores, graciles in dorso formam rotundam lubenter assumunt.

Cavum thoracis illiusque organa.

Cavum thoracis in feminis brevius et augustius formae circulari magis accedit, quae notae pulmonibus quoque hic sitis conveniunt. Arteriae asperae annuli minores, augustiores numero plures sunt, hinc illa longior. Larynx augustior et longior, ob cartilagines magis elasticas mobilior.

Cavum abdominis illiusque organa.

Abdomen muliebre est prominens rotundatum, cavumque illius et longius et latius virili, superiora versus augustius, inferiora versus ad pelvim efformandam latius. — Hepar diaphragmati vicinum, minus; ventriculus augustior quidem, sed prout reliquus tubus intestinalis longior est, ac in viris. — Vesica urinaria mulieris, quae nullum adhuc utero foetum gestabat, augustior et elyptica magis, brevior, infra clitoridem apertura ostio augusto valloque tumidulo circumdata.

Organa genitalia.

Ut fertili concreditum terrae semen, nulla primis temporibus manifestat discriminis futuri sexus signa, ita embryo primis post conceptionem hebdomadis nullam prodit mulieris, virique evolutione ulteriori secuturam differentiam, licet fundamento illius ipso iam generationis momento iacta sint; hinc primis sex a conceptione hebdomadis nullum genitalium vestigium, serius autem cum in conspectum prodeunt eundem in utroque sexu sequntur typum, androgynum itaque, sed ad femininum magis accedente. Quo vero perfectius differentia sexualis lapsu temporis explicatur, eo dissimiliores fiunt partes — pro diversitate sexus — quae antea distingui non poterant, similitudinem tamen in omni evolutionis periodo aliquam admittentes. Nam non solum ex organis similibus explicantur genitalia, sed etiam magnitudine, forma, situque sunt

initio sibi multum affinia; ut adeo scrotum labiis pudendorum maioribus, si illa in raphe unita repraesentemus, glans et conformatione et sensibilitate clitoridi, corpora cavernosa penis nymphis, ductus deferentes tubis Fallopii, testiculi ovariis, prostata et vesiculae seminales utero, ductus eiaculatorii vaginae respondeant.

Tanta sane est similitudo inter utriusque sexus genitalia, ut cum ante mensem quartum in embryone masculo scrotum necdum in raphe sit unitum, clitoris nimis elongata penis formam ludat, testiculi nedum in scrotum descenderint, externum marem inter et feminam discrimen arduum sit. Si forte ulteriori graviditatis tempore natura in genitalibus ultro evolvendis et discernendis supersedeat, genitalia adeo imperfecta fiunt, ut parte una masculis, parte alia femineis nespondeaut.

Ostuím vaginae praecluditur membrana semilunari, quae *hymen* dicítur; haec interdnm circularis, et adeo firma atque laxa est, ut per iteratos etiam coitus non laceretur. In sola femina humana occurrit, a tota antiquitate pro infallibili virginitatis criterio habita fuit. Variis tamen casibus exposita est, atque si inter virginatatem moralem et psychicam distinguendum sit, in judicio de virginitate ferendo omne perdit votum.

Maximae dignitatis inter organa genitalia feminea est *uterus* receptaculum, in quo foetus evolutio contingit. Organon solis mammalibus proprium, licet et pisces quidam, ut squallus, blennius receptaculo gaudeant, in quo exclusio ovi sine nexu cum matre perficitur, qui ideo improprie vivipari dicuntur. — Ulterus in infantia cylindricus, comparente fluxu menstruo pyriformis, et post primam graviditatem oviformis est. Nervis paucis, in portione solum vaginali copiosis, eo pluribus vasis instruitur, nevorum inopia functioni uteri admodum respondet. — An fibras musculares habeat, disputatum est, cum illae extra graviditatem non sint manifestae. Verum reperiuntur in utero gravido, et in eo aliorum mammalium etiam non gravido; uterus porro motum expausivum et contractivum sub partu edit, et ad hanc activitatem si forte torpeat, energia eius iisdem stimulis, quibus aliorum organuorum irritabilium ex-

altatur, ut Galvanismo. — Structura et decursus fibrarum muscularium ea est, ut longitudinales in fundo et corpore, circulares in cervice uteri praevaleant, non secus ac in tubo cibario, et vesica urinaria. — Gaudet porro uterus pari ratione ac tubus cibarius suis tunicis, externa serosa continuatione peritonei, tunica musculari, vasculari, et mucosa; quin imo forma etiam sua respondent illi, ita ut extremum tubarum Fallopii seu morsus diaboli pharyngi, tubae Fallopii oesophago, orificium illarum cardiae, uterus ventriculo, portio vaginalis pyloro, vagina tubo cibario ad exitum suum non secus ac intestinum rectum sphynctere cincta, interne vero rugis transversalibus valvulis Kerkringii respondentibus obsita, et ligamemta uteri lata mesenterio respondeant. Similitudinem hanc inferioris ordinis animalia luculentius demonstrant.

Mammae.

Mammae denique cum partibus genitalibus intimo nexu junctae, absolutum aeque ponunt mulierem inter et virum discrimen. Quo enim hae ad pubertatis tempus usque in utroque sexu similiores, eo fiunt tum dissimiliores. Textura namque glandulae in virgine evolutae, adepsque aggregatus mammas reddunt turgidas et elasticas, papillaque prominens ampliori et colore profundiori tincta circumdatur area.

b) Differentiae respectu physiologico.

Cum corporis humani organisatio et processus vitalis arctissimo invicem iungantur nexu, parique passu incedant, nec posterior absque priori cogitari possit, patet singulorum quoque organorum functiones conformationi illorum ex asse respondere. Quae si vera sunt, sequitur mulierem processu vitali, singulisque organorum functionibus a viro in tantum diferre debere in quantum organisatio muliebris a virili discrepat. Differt autem femina non solum illarum, quas cum mare communes habet, functionum peculiari modificatione, sed et illarum, quae

ei qua mulieri soli competunt, singulari ratione. — Ast cum augustia spatii utriusque ordinis differentias illustrare mihi vetat, prioribus supersedendo posterioris solum ordinis parumper dilucidabo.

Functiones soli feminae propriae.

Organa genitalia, ut de supra dictis patet, praecipuum et absolutum ponunt mulierem inter et virum discrimen; idem et functiones eorum efficiant, necesse est. Interim primis 12—14 annis ob imperfectam genitalium evolutionem, horum quoque functiones silent. — Anno plerumque 14-o appropinguante, vis formativa pelvim versus directa, magnam inducit tam organisationis, quam etiam functionum diversitatem; ut adeo systema uterinum, hactenus in organismo puellae qua peregrinum et seperatum latitans, nunc ceterarum organismi functionum ingrediatur sphaeram.

Fluxus catameniorum.

Uberiore totius corporis et partium genitalium evolutione pubertas ingruit, quae citius feminas salutat, ac mares. Ea ingruente organa genitalia e somno quasi hyemali expergefiunt, nisusque sexualis inopinatum offert bellum. Ut in viris spermatis secretio, ita in feminis catameniorum comparitio pubertatis indicia sunt. Tempus quo primus mensium fluxus sub zona temperata comparere consvevit est 12—15 aetatis annus, sub torrida 8—12, sub frigida 18—20; dantur et exceptiones, quae tamen ad casus extraordinarios pertinent, uti est exemplum puellae secundo iam aetatis anno menstruantis, et alterius septimo aetatis anno gravidae a Siebold et Haller relatum. — Generatim citius comparet in individuis corpore laxo praeditis, ac otio deditis, aut quae mentem praematuris torquent stimulis; tardius in robustis, labori continuo deditis, ruricolis et in viraginibus; educatio tam physica, quam moralis ac intellectualis hic multum influit. — Antequam fluxus menstruus in-

gruat, organismus, ut sub omni evolutionis catastrophe, insolitis phoenomenis agitatur. Suboritur scilicet febris cum exaltata sensibilitate et irritabilitate tam universali quam topica; in organis genitalibus sensus pressionis, caloris, pruritus percipitur; molliminibus his catameniorum periodice uno alterove mense reccurrentibus, neque ob transitoriam suam indolem magni aestimatis, post repetitos insultus, quos pudica virgo status sui parum conscia non facile revelat, praecedente primum flluxu muci largiore, cruentum contingit effluvium, et animum virginis attonitum reddit. — Primis vicibus catamenia haud regulariter, organismo vero iam adsveto normaliter, et facile singulis mensibus lunaribus redeunt. — Sanguis hic ex utero manans venosus est; duratio variat inter duos et octo dies, sicut et copia eius a 2—6 unciis; corpore nimis energico, aut accedente stimulantium usu fiuxus est copiosior, in languidis et phlegmaticis parcior; initio et circa finem magis est serosus. — Durat periodicus hic fluxus in muliere annis circiter triginta, a 15 aut 18 usque 45 aut 48 aetatis annum eam observans legem, ut quo prius comparuerit, eo prius dispareat; annis clymactericis appropinguantibus rarior fiit, donec tandem maiore haemorrhagia consvetim praecedente, plenarie cesset. Sub graviditate et lactatione, atque cachexiis quibusdam silet, licet rarissima occurrant exempla feminarum, nunquam alias, nisi sub graviditate menstruantium. Etsi sanguis menstruus eiusdem sit indolis ut haemorhoidalis, catamenia tamen cum haemorrhoidibus indentificari non possunt, illa enim physiologicum, hi pathologicum sistunt statum. — De causa menstruationis multum inter physiologos disputatum est; verosimillima autem secundum auctores plurimos sequens videtur esse idea. Organismus femineus ad formationem novi individui plus confert, quam virilis; producere itaque et generare princeps organismi muliebris finis est, ad quem tota vegetatio indesinenter individuo semel perfecto tendit. Post conceptionem uterus ad summum vitae culmen elatus interna superficie nova vasa evolvit, partem placentae uterinam effectura, et vasis ovi humani obviam ventura. Sed ad conceptionem concursus sexus

virilis opus est; cum hic absit, conamen producendi quod utero inest, pleno successu destituitur, et in imperfecto placentae immitamento, secretione nempe cruenta exstinguitur. Est itaque menstruatio *irritum conamen organismi muliebris graviditatem per se molientis.*

Conceptio.

Altera nobilissima feminae functio conceptio est. Actus videlicet ille mysteriosus, quo sub coitu diversi sexus individuorum, novi individui vitae ponuntur fundamenta. Praecedente nempe sub coitu partium genitalium sexus utriusque irritatione, postquam exaltatio summum attigisset gradum sperma vivificans viri cum summa huius et mulieris voluptate in vaginam (uterique cavum?) effunditur, et quod probabile, ovulum vel liquidum hujus vivificandum per tubarum Fallopii canalem in uterum deducitur. Verum actio spermatis vivificantis non ad solam substantiam vivificandam restringi, sed etiam ad uteri universique organismi muliebris vim productivam extendi videtur. Ex quibus elucet mulierem magis negativas, virum positivas magis in actu generationis tenere partes.

Graviditas.

Conceptione succedente graviditas ingruit, quae partu finitur; in interna videlicet uteri superficie processus plasticus, inflammatorio non absimilis exoritur, cujus productum membrana decidua Hunteri est, ope cujus ovum utero arctius adhaeret, quae adeo vehiculum commercii matrem inter et foetum intercedentis constituit. — Ovum in uterum delatum utplurimum lateri ejus dextro adhaeret, in externa ejus involucro ubique flocci efformantur, in parte, ubi serius placenta efformanda perfectiores, qui floccis in membrana Hunteri natis obvii, et cum illis conjuncti conductores sistunt, per quos humores a matre in ovum tendentes, atque inter ambas Corion lamellas penetrando, efformata sensim membrana Amnios in

cavum ejus transudant, efformationi embryonis materiam praebentes. Initio ovum tota sua superficie arcte utero adhaeret, mense tertio placenta comparente foetus utero et matri intensius nectitur, ejusque evolutio alacrius incedit. — Duratio graviditatis 40 hebdomadas, aut 10 menses lunares, vel 275—280 dies constituit, quin tamen in statu morboso in brevius ac longius tempus non excurrat. Graviditate plerumque unus utero gestatur foetus, gemellorum inter 80, tergeminorum inter 7000 partus exempla occurrunt. — Uterus sub graviditate multum mutatur, tam relate ad situm nam primo secundoque mense dehiscit, tardius semper magis ascendit ad scrobiculum cordis usque, mense decimo iterum descendit, antrorsumque inclinatur; augetur quoque tam volumine quam pondere, idque non per meram simplicem expausionem, sed per veram hypertrophiam; extra graviditatem uterus 3″ in longitudine 2″ in latitudine habet, mense graviditatis decimo in quadruplum augetur, et 12″ in long. 8″ in latitudine aequat; volumen ejus secundum Haller 544 vicibus amplius est. Vasa porro perdito decursu serpentino recta magis decurrunt, ipsa nervorum massa augetur. Uterus consistentiam compactam amittendo spongiosus fit mutationes omnes in fundo inchoando ad cervicem transeunt, quae in primiparis plene disparet. — Oriuntur simul etiam in reliquo corpore mutationes peculiares ab excitata vegetatione, a mutato statu systematis nervosi, et a mechanica uteri in vicinas partes pressione derivandae. Pinguescunt nunc eo non obstante gravidae quod humoribus suis novum etiam individuum habeant alendum, sensibilitatisque et irritabilitatis exaltatae manifesta produnt indicia. Exoriuntur: vertigo cum cephalea, odontalgia, peculiarium ciborum appetentia aut aversatio, tubi intestinalís motus inordinati; cordis palpitationes, dispnoeae, tusses, extremitatumque imprimis inferiorum varices, cutis vitalitate imminuta perspirabilis cutanei minor quantitas, exanthemataque diversa.

Partus.

Partu foetus a nexu cum conpore materno avellitur, et ab organis, quorum ope nexus erat, solvitur, ut propriam vivere posset vitam. Expansione nempe uteri ad summum perducta, is undequaque pressus tantam humorum nutritiorum copiam suscipere nequit, quantam uteri et ipsius ovi ulterior evolutio exposceret. Posito hac ratione in utero incrementi limite, vincula, quibus ovum ei nectitur, minus nutriri et senescere, foetusque iam maturus peregrini corporis adinstar agere incipiunt. Concentrata autem ad uterum irritabilitate, actio fibrarum muscularium evigilat, earumque contractio in fundo uteri inchoans, periodiceque recurrens sensim ad cervicem ejus extenditur. Augustato nunc et actione preli abdominalis, et contractionibus uteri hujus cavo, sub nixu foetus per vaginam partesque genitales externas a corpore materno, praecedente effluxu liquoris Amnii propellitur, sequentibus paulo post secundinis et fluxu sanguinis.

Fluxus lochiorum.

Partu peracto corpus maternum revolutionem universae vegetationis subit, ad eumque statum perducitur, in quo ante conceptionem erat. At haec revolutio sensim pedetentim solum evenit, peculiaribus se manifestans phoenomenis. Cutis universa sudore amoeno perfunditur, vasa autem uteri sub solutione ovi vulnerata hiant, et cum quo farcta sunt sanguinem una cum reliquiis placentae uterinae, sub continua uteri contractione fundunt primis duobus vel quatuor post partum diebus — lochia rubra — subsequo per 6 vel 8 dies fluxu seroso, in mucum puriformem serius commutato, 2 circiter vel 3 hebdomadis duraturo.

Lactatio.

Mammae sub ipsa graviditate perinde ut uterus mutantur — non ampliantur solum, sed et perfectius parenchyma acci-

piunt — majores fiunt, molliores, plus sanguinis accipiunt, acinique manifestiores fiunt, at vitalitas earum solum partu absoluto summum gradum adipiscitur. Eo enim tempore non solum humores nutricii foetui in utero nutriendo destinati, sed etiam vis plastica uteri ad mammas nunc maxime sensibiles derivantur. Primis namque 24 horis mammae turgidae liquidum serosum seu lac tenue secernere incipiunt, post paucos dies in spissius et coloris magis flavicantis commutandum, nutriendo infanti aptissimum. E quibus elucet *lactationem nil esse aliud quam protractam graviditatem.*

Postquam secretio lactis longiori indesinenter durasset tempore, ovariaque cum utero per 6—9 menses quievissent; irritabilitas pristina eorum, quiete restaurata rursus redit, fluxu catameniorum vel nova graviditate se manifestans. In qua autem ratione activitas uteri intenditur, in ea functio mammarum decrescit, lactis secretione non solum quoad quantitatem imminuta: sed etiam quoad qualitatem immutata. —

Atque sub hac perpetua. menstruationis, conceptionis graviditatis, et lactationis vicissitudine postquam mulier 45—50 attigisset annum, functiones partium genitalium commemoratae penitus exstinguuntur, vitam solam vegetativam victurae, tamquam e nexu reliquarum functionum organismi exclusae. Tollitur hac ratione absolutum quod inter functiones mulieris et viri intercedebat discrimen. Et quamvis mulier annis quoque his climactericis majorem testetur reproductionis gradum: in genere tamen maturius viro, vel debilitate, vel morte — teneriori quippe organismo praedita, — succumbere cogitur.

B.) Differentiae respectu intellectuali

Generatim vires intellectuales foeminarum nec adeo intensivae, nec adeo energicae esse solent, ac in viris. Et revera experientia ipsa testatur, deesse foeminis de regula sublimiorem illam ingenii vim, eximiam mentis profunditatem, nec non altiorem illam omnia penetrantem reflexionem, quibus nostri Neutones, Leibnitzii ac Kantii nomina sua immor-

talia reddidere. Quod in foeminis reperitur, est certa mentis teneritas ac agilitas, sed absque propria vi creatrice, est certa facilitas in appercipiendo et combinando, sed absque magno talento pro abstractione. Memoria itaque foeminarum imaginibus magis quam conceptibus est idonea, sensibilior est pro objectis sensationi copulatis, ac iis mentem exposcentibus; et dum vir in generalium cognitione versatur, mulier partialium duntaxat cogitatione occupari amat.

Phantasia mulierum vivida valde et excitabilis est, vi cujus fit, ut minimis saepe moveantur et exaltentur, rebusque exiguis non convenientem valorem, et pondus non raro magnum tribuant. — Respectu aesthetico memoratu dignum, mulierum phantasiam, quamprimum ipsae producunt, circa objecta magis laevia et amoena, quam sublimia et horrenda versari; omnia earum producta litteraria potissimum placidum, raro magnum praeseferunt characterem; et nonnisi ibi maximum energiae gradum attingere valent, ubi objecta affectibus muliebribus propria pertractant. — De cetero parvi quidpiam et lassi offerunt, cui tamen nec elegantia, nec pulchritudo dijudicari valet. — In genere Feminae vivida gaudent phantasia pro omni decente ac regulari, pro omni quod amoene ac pulchre; earum oculus detegit cunctum, etsi exilissimum contra symetriam ac ordinem peccantem errorem, cunctum perfectionis defectum.

Phantasia mulierum agilis ac excitabilis, earumque in combinando facilitas, vivacitatem mentis generat, quae sub omnibus vitae muliebris circumstantiis se manifestare solet; hinc illa magna earum dexteritas, animi praesentia, ingeniosaque dicteria. — Non deficit illis magnum observationis talentum, potissimum circa objecta eas proxime spectantia. Vel maxime vero propria est foeminis peculiaris mentis acuitas, dum e contra profunditate mentis viris cedunt; facile percipiunt, sed raro ultro superficiem penetrant, rectius ex instinctu, quam ex vero ratiocinio judicant; ubi itaque felix earum divinatio illas derelinquit, ibi unilaterales fiunt, facileque in errores incidunt.

Ex supradictis patet, altioris ordinis facultatibus intellectus mulierem a viro superari. Sed quantum ejus menti quoad robur et intensitatem decedit, tantum alacritatis ac vivacitatis relate ad facultates inferiores accedit. Quae mentis facultatum ratio, et organismo debiliori, et praefixae mulieris destinationi apprime respondet.

Differentiae respectu morali.

In genere respectu morali foeminae viris neutiquam cedunt; virtus enim revera unica semper manet, etiamsi in exercitio varie modificata appareat. Sed nec e contra foeminis hoc respectu praepondium super viris tribui potest; affectus etenim illarum, etsi minus vehementes, manent tamen semper affectus, apparentque foeminae persaepe meliores, ubi reipsa debiliores duntaxat sunt; nec reticeri potest, eas ex morali plerumque solum agere sensu, ubi virum principia solummodo determinant.

Principalis vitae muliebris character est desiderium erga *amorem*, eumque mutuum; id a tenerrima jam se manifestans infantia, tenerae non minus organisationis, quam praedominantis nervosi aeque ac genitalium systematis resultatum est. Desiderium hocce per se consideratum, revera sublimius, purius quidpiam videtur, ac amor mere sexualis, prout id modificationes in amorem parentalem, fraternalem, sororium, teneritas erga animalia &. abunde probant. — Quoniam vero omnis amor nonnisi intimae perfectaeque vitae productum sit, sequitur desiderium illud nonnisi pubertate ingruente in tota sua energia evolvi, ad summumque extolli posse gradum; haec enim est illa epocha, qua systema genitalium maximum in totam psychicam mulieris individualitatem exerit influxum, catervaque morbosarum organismi apparitionum, unice ex singulari hocce moralium aeque ac physicrum virium mechanismo suum habet exsplicatum.

Quemadmodum vero una ex parte negari non potest, quod amor muliebris quadamtenus in amore sexuali fundari, per eumque modificari soleat; ita ex adversa parte aeque ut perfecte verum assumi debet, amorem hunc cum eo virorum comparatum multo minus voluptuosum esse, eum magis ut necessitatem moralem, magis ut rem animi apparere, ideasque de tutela, de conditione ac fine vitae magnopere in eum influere. — Apud virum, ut activum generationis principium. amor sexualis ut sensus magis vehemens, transitorius se manifestat; in foemina e contra ut principio passivo, vitae ger-

minis recipiendae alendaeque dicato, sensum magis tranquillum, permanentem magis offert. Hinc etiam depromere liceret, an sensibilitas in viris, an in foeminis major sit. — Quamprimum futurae suae destinationis conscia fit mulier, in sequelam physicae evolutionis, in psychico quoque ejus statu singularis locum habet mutatio. Desiderium in objectum quoddam, quod amore amplectantur, inexplicabile est, mirificas non raro causant apparitiones. Tota quanta intima animi vis circa hanc unam semper concentrata est ideam, et quidquid virile est, snb quacumque illud demum semet visui praebeat forma, exquirit; hinc delectatio erga objecta et scenas grandiosas, sublimes, ac animum percellentes, quae exinde vel maxime explicatum habet. In quantum itaque nunc conatibus his plus minus, citius aut tardius, perfectius aut imperfectius (secundum idealia ante oculos versantia) satisfit, in tantum status foeminae magis vel minus normae respondet. Hoc est illud momentum, quo medicum summe cautum ac circumspectum esse oportet, qui nunquam obliviscatur, magnum illud erga amorem mutuum desiderium praedominantem animi feminei efficere.

Puriorem, innocentiorem adhuc, quam amor mere sexualis, in foeminis imaginem sistit amor sic dictus conjugalis ac maternus. Matrimonium videlicet ultimus vitae muliebris finis est, prout circulus familiaris unicam naturalem activitatis suae sphaeram efficit; foemina itaque incorrupta nonnisi in et pro marito ac prolibus suis vivit eique illi unicus solum, ac ultimus vitae finis videntur. —Haec phantasiae ac cupiditatum in certum non transgrediendum finem fixatio, haec totius energiae moralis in objectum unum concentratio, sensationibus mulieris intensitatem, profunditatem, ac constantiam largiuntur, cujus character muliebris ceternm mobilis incapax videretur. — Si negari non potest devotiones, quas feminae viris amatis saepe offerunt, magnas esse, eae conjugum ac matrum amantium divini fere quidpiam habent; ibi fortes, hic admirandae sunt mulieres, evolvuntque characteris majestatem non satis laudandam. — Nihilominus notatu dignum manet semper, dari mulieres, in quibus amor conjugalis per maternum non raro debilitetur, quibus mariti magis magisque indifferentes fiunt, dum e contra liberos suos aequali semper amplectantur amore ac teneritudine; hujus, ni fors maritus quadam tenus peccaverat, labefactatus aut perversus genitalium systematis status causam sistit.

Aliam principalem aeque characteris foeminei qualitatem efficit *vanitas*, naturalis debilitatis ac altioris sensibilitatis gradus sequela. — P l e n a r i e ac indefesse personalitati,

ac venustati suae studens mulier, sibique *conscia*, — per hanc solam potiorem allicere, ac domare posse sexum, naturaliter cunctum, quidquid huic suae personalitati majorem tribuere valet lucem, maximi ei valoris est; cumque proprio judicio nequaquam insistere velit, ei omne undecumque illud originem trahat encomium gratum non minus, ac necesse est; cumque alio modo excellere desperat, omnem suam fortunam in personam suam, luxum, ornamenta, talentum, sexcentasque diversas minutias locare consvevit.

Opposita vanitati sexus sequioris *pudicitia* est, qua mulier viros superat. Cum enim pudor dolorem ex conscientia imperfectionis errorumque propiorum provenientem denotet, luce meridiana clarius est, hunc in foemina maiorem esse debere, ac in viro. Cum enim tam quoad organismi vires, quam quoad animi facultates inferior, et debilior sit, frequentius etiam periculum incurrere potest, errores commitendi, et imperfectionem ac debilitatem sentiendi. Superant quoque mulieres viros.

Benevolentia, idque eo magis, quo magis ipsae ea aliorum indigent. Reddit ad hoc mulieres sensibilitas alacrior ad tollendas aliorum aerumnas proniores, et phantasia mobilior, ad succurendum afflictis fortiores. — Jungitur benevolentiae:

Mansuetudo, haud exigua mulieris praerogativa, providaeque naturae donum praecipuum. Hac enim sola et viri fortis asperitatem lenire, et destinationi suae respondere valet. Deficiente enim mautvetudine mulier veram teneramque prolum matrem agere nullo modo potest.

Mira est etiam sexus sequioris *patientia*, qua absente nec graviditatis incommoda tolerare, nec atrocissimos partus dolores perferre, nec demum maximis molestiis junctum primae educationis opus perficere valeret.

Conscientia debilitatis propriae phantasiae exaltatae juncta, atque amor, mulierem ad *sensus religiosos* pectore fovendos proniorem quidem, sed simul etiam superstitionibus pluribus obnoxiam reddunt.

Saepius etiam percelluntur mulieres *timore*, quam viri. Major nervorum sensibilitas ac irritabilitas, viriumque defectus efficiunt, ut foeminae periculo imminente minus se resistere posse autumnent, animoque vacillent. Cavi ad haec pectoris, et organorum in eo sitorum augustia, quae sola jam anxietatem inducere valent, non parvum videtur in augendo mulierum timore sibi vindicare locum.

Artem simulandi mulieres probe norunt, qua defectus et errores tegere, atque recondita animi sensa menti virili subtrahere perbene sciunt. Sed nec.

Curiositas error quasi haereditarius, in sexu sequiori desideratur, cum novi cognoscendi studio indesinenter pruriat, partim ob passivarum occupationum cupidinem, partim denique ob subliminiorem, totam mentem replentium idearum defectum. Accusatur quoque mulierum

Levitas, huique juncta *incoastantia*; sed nec mirum: subtilis enim nervorum, minimis jam mutanda impressionibus, sensibilitas, facultatum mentis inferiorum mobilis actio, superiorum vero debilitas; seriarum rerum occupationis absentia; defectus denique experientiae efficiunt, quominus mulierum agendi modus certam fixamque teneat directionem. — Est insuper in animo muliebri continua sensationum, idearum, cupiditatum et votorum fluctuatio; phantasia enim exaltata cum superficiali quadam celeritate cuncta activitatis suae objecta percurrens, indifferentem erga ea reddit animum, serius taedio quoque se manifestando. Unde novarum rerum, insolitarum formarum, verbo alterius animi status cupido. —

Inter pathemata muliebri animo communia eminet

Invidia seu peculiare et deprimens animi pathema, quod ex rei optatae, sed per alium possessae, ingrata consideratione oritur. At nullibi huic pathemati commodior, quam in corde muliebri locus, ubi tanta rerum exoptatarum diversitas, tanta diversarum praetensionum varietas, tantaque sui cum aliorum statu comparatio; eo autem majorem assequitur gradum, quo major praetensionum numerus, et quo minor eas assequendi potestas. — Saepe transit invidia in

Odium, et ex hoc in *vindictae* studium, quod eo facilius apud mulieres exoritur, quo major organismi muliebris irritabilitati et sensibilitati juncta debilitas et minor rationis in affectibus compescendis potestas. Verum quidem est, viros aeque, laeso praesertim illorum honore, tam facile ut mulieres vindictae studio abripi; at hoc nec tam inhumana, nec adeo cudeli se manifestat ratione.

Zelotypia mulieris denique non paucos producit in campo moralitatis mutationes. Quo enim tenerior et intimior est mulieris magis dependentis erga virum minus dependentem amor: eo etiam major illius amittendi anxietas, et timor. Hinc Zelotypiae cruciatibus agitata mulier, justis amplius non regenda legibus, horrenda molitur, virumque antea amatum, cui maximas etiam victimas ferendi prona fuisset, omni nunc possibili persequitur studio.

Theses.

1. Catamenia sistunt irritnm organismi muliebris graviditatem per se molientis conamen.
2. Producere generare, princeps finis organismi muliebris.
3. Status verminosus infantum, saepe hydrocephalum incipientem mentitur.
4. Medicina forensis in casibus dubiis praeferat parcere nocenti, quam condemnare innocentem.
5. Aethiopem lavat, qui Cataractam evolutam pharmacis solvere intendit.
6. Cum crescente gentis humanae mollitie increscit quoque medicinae necessitas.
7. Medicina tantum per unionem indissolubilem theoriae cum praxi potest evehi ad dignitatem artis.
8. Studium medicinae nonnisi morte finiendum.
9. Si Chirurgum Medicum dixeris, partem pro toto habebis.
10. Consilia amicorum meliora, meliora paucorum. Stoll.
11. Medicum pauca loqui, multa scire, plurima meditari oportet.
12. Discere qui cupit nova, volvat antiqua.
13. Mysterium totius medicinae est: nosse naturam, nosse ejus actus, atque nutibus ejus prudenter obtemperare.
14. Dolor est beneficium naturae.
15. Instinctus aegri non est vilipendendus.